

isti primū à Marcionitis, pòst autem ab Origeni-
stis & Chiliaстis profecti, qui damnatos homines,
imò verò diabolos ipsos aliquando saluos futuros,
nempe post millesimum à die resurrectionis annū
contendebant. Isti verò nostri iam salutem con-
secutos esse quosdam incredulos docent, eos nimi-
rum, qui tempore descensionis Christi in inferis
erant & detinebantur. Christum enim apud eos,
cùm ad inferos venisset, concionatum esse volunt,
eόsque credidisse, atque ita è grauissimis inferni
Pœnis ereptos ad cælum cum Christo euolasse, &
traductos fuisse. Alterius, autem & huic planè con-
trariæ hæreseos meminit Isidorus his verbis, Aliæ
liberationem hominum apud inferos factam Chri-
sti descensione non credunt. Huius autem erroris
duplex occasio statui posse videtur. Ac prima qui-
dem, locus Petri in priore epistola cap. 3. versu 19.
Perperam & conuersus, & à Patribus intellectus.
Sic autem habet, Nam & Christus semel pro pec-
catis passus fuit iustus pro iniustis, vt nos ad Deum
adduceret, mortificatus quidem carne, viuificatus
autem spiritu, per quem spiritibus, qui erant in
carcere, profectus prædicauit. Ex quo loco Chri-
stum ad inferos, id est, locum damnatis destinatū,
post mortem descendisse veteres crediderunt, &
scripserunt. In quo ab iis tamen peccatum est
grauissimé. Secunda huius erroris occasio fuit,
quòd iam ex communi omnium sententia rece-
ptum erat, Christum idcirco ad inferos venisse, vt
fideles & dignos, qui viui constanter in fide per-
seuerassent, in vitam æternam, & in ipsum adeò
paradisum tanquam author & princeps vitæ tra-
duceret. Eo enim ipso die, quo descenderat, cùm